



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lignvm Vitae, Ornamentum, & Decus Ecclesiae

In Qvinqve Libros Divisvm. In quibus, Totius Sanctiss. Religionis Divi Benedicti initia; Viri Dignitate, Doctrina, Sanctitate, ac Principatu clari describuntur: & Fructus qui per eos S. R. E. accesserunt, fuissimè explicantur

Wion, Arnold

Venetiis, 1595

Quomodo Stellati Spiritualium Ordinum fundatores ad dexteram S. P. Benedicti collocantur. cap. XVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38372

1790. 27. Dominus Hieronymus Bruggia, Perusinus, monachus Monasterii Sancti Petri de Perusio, nunc praeest, agitque regiminis sui annum quartum: cui Deus Opt. Max. addat Nestoreos annos.

Quomodo stellati Spiritualiū Ordinum fundatores ad dexteram S.P. Benedicti collocantur.

Quoniam super stellas fulgebunt facies eorum qui abstinentiam habuerunt. 2. Esdrae 7. Cap. XVII.



Vnde quanta in familiam Benedictinam beneficia Deus contulit, attentius animo contem-
plor, alterum Ioseph, filium videlicet accrescē-
tem videre mihi videor, cui Pater ceteris filiis
plus dilecto, tunicam fecit polymitam, atque
partem unam dedit extra fratres suos, quam
tulit de manu Amorrhæi, in gladio & arcu suo:
Tunicam nempe polymitam, id est, uersicoloribus filis, pluribusque
licis intextam, nonne rectè dixero, amplissimum illud atque singula-
re decus, quod, ex quocumque tandem instituto, uel facto peti queat,
inter omnes alias familias gloriosissimè ac peculiariter est cōsecuta?
Pars autem ea qua fratribus suis superiorem eum esse voluit, nun-
quid non dici potest immortalis illa, propriaque laus & gloria, gla-
dio & arcu comparata, qua præceteris excellentius, atque singulari
modo decorata familia Benedictina refulget? Nam si tropologiam
inuestigemus, quid aliud erit cum Amorrhæo, qui rebellis interpre-
tatur, gladio & arcu dimicare, quam cum inimicis Dei, materialibus
simul & spiritualibus armis decertare? Porro de propinquiore loco
gladio pugnatur, arcu autem è longinquo in hostes tela coniciuntur;
qui uterque præliandi modus ad progeniem Benedictinam aptissi-
mè refertur.

Illi enim qui ad arma seculatua tractanda, ex Benedictina familia
sunt propagati, cum hostibus Christiani nominis, necnon & aduer-
sarijs Orthodoxæ fidei, sæpissimè cominus tanquam fortissimi mi-
lites in acie certarunt, & etiamnum hoc exulceratissimo tempore,
se propugnatores acerrimos, & defensores studiosissimos, Christi
inimicis opponunt.

C Interea

Interca verò dum hi fortissimi, atque clarissimi uiri, vitæ suæ periculo, periculum à Christiana Republica depellere, barbaris quæ, ac hæreticis in eam irruentibus iter corporibus suis ocludere, atque illorum temeritatem consilio, furorem fortitudine, audaciam virtute superare cominus enituntur: Ecce ij, qui à præclarissimo stirpis Benedictinæ germine, Sanctissimo uidelicet Patre Benedicto, generatione Spirituali ad arma Spiritualia tractanda sunt procreati, diuersorum, scilicet Ordinum, sub S. P. Regula militantium fundatores, ieiuniis, & vigiliis se affligentes, cum iisdem hostibus supradictis confligunt, atque eminus in eos lachrymarum, & precationum iacula mittunt; suisque votis, & obsecrationibus hostilium gladium acumen, telorumque cuspidem retundere, tribulium uerò, atque aliorum propugnatorum suorum dexteris confirmare student, quibus sic ad Ecclesiæ defensionem occupatis, & intentis, hi

Exo. 17.

Una manu faciebant opus 2. E. sdræ 4.
quemadmodum & Iosue pugnante cum Amalechitis, Moysen pro populo supplices manus ad cælum tetendisse legimus. Conspiciuntur autem ad dexteram S. P. N. Benedicti isti fortissimi Christi athletæ, & Ecclesiæ Sacrosanctæ defensores, Regulam de eiusdem Patris manu sumentes, Monastico habitu induti, & stella lucidissima in fronte ornati.

*De primo Stellato S. Romualdo, Monachorum, Ordinis
Camaldulensis fundatore. Cap. XVIII.*



¶ *V*l primus S. P. N. Benedicti dexteram Abbatis habitu, micantem stellam in fronte gerentis, ambire videtur, is est S. Romualdus Abbas, Camaldulensium Monachorum institutor. Hic cum Ravennæ, ex nobili Ducum familia, Patre Sergio ortus, & studiis liberalibus legitime imbutus fuisset, primum sæculo relicto, Classis, haud procul à Rauenna habitum S. P. Benedicti suscepit, ac tertio post anno Eremum adiens, uitamque in secessu solitariam ducens, S. P. Benedicti ritus, laxos nimium, pro virili corrigere studuit, quo in uitæ genere, ita profecit, ut antequàm de mutatione habitus cogitaret cœnobium centum, tam in Hetruria, Piceno, Flaminia, quàm in Venetiâ, & Histria, sub nigro habitu, quem gerebat, & norma eiusdem S. P. Benedicti construxerit.

Cumque